



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XCIII. Dominus regnauit, decorem &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Erigit ille meum cornu, ceu in fronte gerentis
Vnum, oleoq; nouo tempora bina rigat.
Pascam oculos, cernens hostilia membra perire,
Auris ouat, turpi militis interitu.
Interea iustus, victrix ceu palma, uirebit,
Crescet, ut in Libano crescere cedrus amat.
Inserti templo Domini, domuiq; sacrate,
Atria flore bunt per spaciōsa Dei.
Flore bunt, licet accedat cariosa senecta,
Florenti è fructu gaudia multa ferent.
Mirificam Domini bonitatem lingua loquetur,
Quòd sit praesidium, vindice iure, meum.*

PSALMVS XCIII.

Dominus regnauit, decorem &c.

REX summus Deus est, parensq; rerum,
Cinctus robore, veste clara amictus.
Fundauit sibi qui perenne regnum,
Cuius continet amplitudo terram,
Quò stet firma, locum Deus parauit,
Ne seculo moueatur illa quouis.
Augustam posuit sibi cathedram,
Quam saluam miseris tenet per aeuum.

Exur.

Exurgunt fluvii, Pater, strepentes,
Extollunt sonitus suos ruentes,
Fluctus proiiciunt & astuantes,
Sunt grandes strepitus aqua marisq̄:
Sed maior Deus aquus & benignus:
Rectum iudicium tuum: perennis
In tectis, pietas, tuis relucet.

PSALMVS XCIIII.

Deus vltionum Dominus, &c.

O Deus in cœlis, cui competit vltio soli,
Vltricem dextram, mi Deus, exerito.
Reddas pro meritis sua premia digna proteruis,
Qui iustus iudex, sceptrâ superba regis.
Quo tandem vsq̄, Deus, ceu sesquipedalia verba,
Audaces iactent, pestiferiq̄, vomant?
Heredem populũ ferunt male, verbere mulctant,
Cedentes viduas, teq̄, patre orbe, simul.
Dicunt: non aliquis Deus est, qui talia cernat:
Non curet Deus hæc, ò Iacobe, tuus?
Vos stolidi in populo, dictis attendite nostris,
O fatui, quando, ut vos sapiatis, erit?
Lumina qui fecit Dominus, plantauit et aurem,